


QK. 33, 2 a.



I  
M  
C

QK.



ΤΗΟΜΝΗΣΙΣ


Sive

# DE HORTATIO MAGIS, FACTA NON DEFUN- CTORIE, AUT NEGLECTE AD ELECTOREM SA- XONEM, à Grünthalio, sicut se facturum in se obliberationem suam in Bohemorum gratiam receperat,

*Ex Germanico in Latinum translata*

à

G. O.



A N N O

M. D C. X X.

No ay mejor espejo, qué amigo vicio.

QK.33,29

Kat. I, 347.

ОГЛАТЯОНД  
ОГЛАТЯОНД  
ОГЛАТЯОНД  
ОГЛАТЯОНД  
ОГЛАТЯОНД

ОГЛАТЯОНД

ОГЛАТЯОНД  
ОГЛАТЯОНД  
ОГЛАТЯОНД



3

**V**i venerabile fidei Numen certissimum salutis humanæ pignus appellat illustris Historicus, Ethnicus tamen, ELECTOR SERENISSIME, eamque semper in civitate viguisse non paucis exemplis facundè commonstrat: me Christianum ut quisquam Gentilium in exsolutione promissi publici superet nunquam committam, tantum abest, ut infami famæ velificari velim.

Proinde quod me facturum esse in Bohemorum gratiam, quorum gratia, & beneficio precarium spiritum obtineo, antequam dimitterer in me recepi, scilicet ut te dehortarer ab instituto, quod calidus sanguis fudit, & tuæ caligini lucem adfunderem, inficiæq; faculam allucerem; excusatum tu quidem uti spero, me habebis, si te verius nunc per Majorum præcepta, Majorum exempla edoceam, ac instruam, posteaquam, quod fieri assolet, prioris diei posterior præceptor extitit, cum, ne nequitia, ac mendacii sordibus imbutum nobile portentum videar, tum, ut fibilibet, quod Consiliarium probum, & doctum de-

A 2      cet,

4

cet, consulam, & justitiae post liberationem  
meam litem, in qua semper æqui & boni facti  
respectus religiosa cum observatione versatur,  
& cupiditas rationi cedit, nihilque utile,  
quod parum honestum cēseri queat ducitur.

Duo autem sunt, de quibus hoc tempore  
te certiorem breviter, & compendio, at can-  
didè juxta multorum Reipublicæ Candida-  
torum communia suffragia utinam non fru-  
straneo conatu reddendum esse duxi, Primū,  
malè te ab Imperatoris Ferdinandi partib. sta-  
re, Secundum, te tuis viribus, nisi deferas, &  
desistas, ruiturum, & ultimam perniciem tibi  
creaturum. Etenim quod ad illud attinet, fa-  
teri me cūm Lōsiis, Polnitzio, Schōnbergio,  
Tōringio oportet, te amicitiæ intuitu eò pro-  
cessisse, sed suasu, & hortatu ab initio concio-  
natoris Aulici Doctoris Hoë, inquieti, turbu-  
lenti, & detriti in plerisq; ingenii hominis, qui  
nos oēs decepit, nec cernere potuit, Austria-  
cosjem in eclypsi esse, mox mox fatali perio-  
do generalissimæ cōmittendos, cuius orbis,  
& lex est, maxima minima facere. Non n.inten-  
tot myriadas Remp. aut regnum mihi dabis,  
quod ex lapsu non in præcipitiū propenderit.

Idcirkò resile, & quod iniquè apprehendi-  
sti, sperne, & abjice, alioq; negotio otium tuum  
expen-

5

expende, si deinceps Procerum in Ducatib: & terris tuis vota, & gaudia in te enixè inclinare, & tanquam in Consilii, Fortunæq; Principem arctius declinare concupiscis.

Nam ut olim didicerim, & sciam adhuc, quam potens, ac prævalidum amicitie vinculum sit, neq; ulla ex parte sanguinis viribus inferius: illud tamē nullo modo honestum, aut laudabile, multo minus tutum, & stabilibus nixum radicib. est, quod pessimo fundamento corrupta voluntas contraxit. Esto itaque, nullius boni sine socio jucundam possessione esse, & sincere fidei amicos præcipue in adversis reb. cognosci, in quib. quicquid præstatur, totum à constanti, & maturâ benevolentia, & faventiâ proficiscitur: tu tamen tibi persuaderi pueriliter patieris, Ferdinādum non meritò affligi, & Austriacam familiam, que sibi ludos in Juliacensib. provinciis fecit, non suo præsilio, felicitatiq; tuæ, sed charitati cultum erogare? Frausest, fucus est, tuq; frustra es, neque aliter Ferdinādus potest, aut vult, quam quod Hispanus, cuius nutu, & arbitrio regitur, ac gubernatur, neque aliter Hispanus, quam quod Papa Romanus, & Jesuitæ suggesterunt, quos diu est, quod Doctor Hoë inter optatos, inter amatos habere cœperit, abiisq; Simontos

A 3 nidis

nidis cantilenias mutuatus fuerit, ut pulverem  
tuis oculis & commodius, & cordatus offun-  
deret, verè benevolus occisor, <sup>Οὐεστοφάκτης</sup>, qualis  
Orestes, qui trucidata matre Clytemnestra  
parentale convivium velut in illius honorem  
exhibuit, quemadmodum altioris classis viri  
fatis superq; norunt.

Cui hoc consequens est, ut cum te adver-  
sus Evangelicos stimulat, tua extollit, Bohe-  
morum Regem Fridericum, quem tamen  
ante tubam non trepidare constat, extenuat,  
Germaniae Principes carpit, & Reformatos  
status subsannat, ornamenta magisoris, <sup>αποτιμά</sup>  
<sup>πίνει</sup>, depromat, quam pectoris, quæ nulla  
possidet, tu vero, cum temerè credis, cum in-  
consultè indulges, cum stultè sequeris, lentè  
conficiaris, & intereas cum pulvifculo ob fu-  
bitos, & vehementes istos impulsus, quibus  
concuus nec tua pericula despiceret, nec alie-  
na facta justa æstimatione prosequi vales, vel,  
si mollius omnino loqui oportet, ob errorem  
qui vanis concitatus imaginibus culpæ te im-  
plicavisti.

Hunc silatius explicem, & quam latè in te  
vagetur, si complecti coner, vitio, de quo lo-  
quor, sim obnoxius. Verum illud fidenter di-  
cam, ita evenire necesse esse, quoties iis auscul-  
tamus

7

tamus, qui è cunabulis se sapere venditant, &  
è templo in curiam inverecundè irrumpen-  
tes baculū Moysis, & thuribulum Aaronis ne-  
fariè, & deperditā fronte confundunt. O sæ-  
vuum, & infestum bonis judiciis æùum! Si  
intolerabiles videntur cerdones, aliive ex sto-  
lido vulgo, & sordida plebecula fungi, qui  
mœnia natalis soli nondum egressi, in convi-  
viis, in foro, in tonstrinis voculas quasdam  
exoticas aucupati ingenti cum fermento ver-  
naculæ inferciunt: quis non irascatur, quan-  
do videt, hac imprimis tempestate, ubi ma-  
gnos Atlantes cœlum istud Reipublicæ Ro-  
mano Germanicæ fessum, & ignes prudentię,  
non scintillas desiderat, Virum ambitione tu-  
midum, cerebro crassum, virtutibus exilem,  
Ecclesiæ destinatum, Juris, Historiarumque  
imperitum, & civilium negotiorum ignarum  
politicas deliberationibus supra sortem suam,  
supraingenium interesse, audiri, magnificeri?  
Recordor me legisse, Rudolphum Agrico-  
lam Frisium, Virum literatissimum, Senatui  
Antuerpiensi summa tūm fide, tūm facundia  
quondam suasisse, ut ludo literario præfice-  
rent aliquem, qui bonas literas didicisset, nec  
infanti Theologo, aut Physico id muneris  
committerent, qui cum se quacunque de re  
dicere

dicere posse considerent, ipsum dicere quid  
 esset ignorarent. Et tu ferre potes Conciona-  
 torem Aulicum tuarum curarum participem  
 esse, & in Consilio politico reperiri, qui studia  
 civilis vitæ per nullos numeros exercuit? imo  
 quem leges intra suos cancellos cōstringunt,  
 nihilque aliud scire, agere jubent, quam divi-  
 na mysteria populo enunciare, simpliciori-  
 bus viam salutis æternæ monstrare, gregemq;  
 fibi commissum feetari pietatem, averbarisce-  
 his non tam monitis quam exemplo docere.  
 Quid enim is faciet inter purpuratos solidæ  
 humanæque prudentiæ Magistros nisi quod  
 canis in balneo? Quasi verò non aliud noctua  
 sonet, aliud cornix? Duriorem me, quam par-  
 est, arbitrari noli. Apibus licet fucos aculeo  
 quidem carentes, furaces tamen præsepibus  
 depellere. Cur non itidem mihi pro viribus  
 liceat ejusmodi fucos curiosæ factionis, & o-  
 mnibus crabronibus aculeatores à principis  
 larario arcere? Tu, si sapis, me sequere, vel Du-  
 cem Parmensem imitare. Is, cum ante trede-  
 cim annos in nuptiis primariæ fœminæ pro-  
 vincialis in hiplomachiam, larvatorumque  
 pompam sumbtus erogasset, & concionator  
 Jesuita publicè clamaret, pretium illud in res  
 Iudicras impēsum potuisse ad Pontificia sub-  
 fidia

3150b



sidiā contra Venetos<sup>9</sup> dari , concionatorem  
importunum actutum terris suis exire jussit,  
idq; laudi deputatum fuit, cum in Republ. fe-  
rendi non sint, qui superioris injussu ad bel-  
lum subditos exhortantur , quorum munus  
est pacem prædicare, cum vitiis bellum gere-  
re,& mundum ad pœnitentiam vocare.

Hæc de primo, quod decisionem secundi  
capitis secum trahit. Nam qui lēta & prospera  
tibi promittas, & non tandem potius ipsarum  
miseriarum experimento eniteas, qui jugum  
cum meretrice Babylonica trahis, Iberi fero-  
ciam, fastum, superstitionem, pervicaciam a-  
lis, in propriæ religionis socios fævis, causis le-  
vissimis facem furorib. ministras, commento  
& prætextu tantum, proditores in sinu foves,  
Fati ordinem, & jura invertere, aut remorari  
satagis. Non enim cœli suffragatio adiuvat  
Tyrannos , non idololatrarum protectores,  
non religionis spoliatores, non sacrilegiorum  
patronos, non viciniæ turbatores, non Natu-  
ræ tortores, & carnifices. Nec si nō statim de-  
bita supplicia Deus exsolvit, securum te, aut  
indemnem puta. Lento gradu ad vindictam  
sui divina procedit ira, tarditatemq; supplicii  
gravitate compensat.

Quin etiam fieri potest, ut dedecore filio-

B rum



rum mortuis pœnas rependas, quos vivus effugeras. Aut te tam fortem esse tibi ipsi imaginaris, & instructum ab ærario, milite, ut diu belligerari pro amico possis, si penitus sententia staret, Hispanicum Solem in omni vittæ cursu comitari, fortè ne vulgus jocetur, amicitiam illorum in consortium deliciarum, & luxuriæ apud te contabuisse. Valde erras, si sic statuis, & fortunæ tuæ vitreæ erunt, cum splendebunt armorum stricturæ, nec aliter nuda Misnia, jejuna Thuringia salya manebit, quam studiis istis pacatioribus, quib. populus lupulum colligit, & se ligonibus exercet. Squallent enim abductis arua colonis, & nimius Principis tui similis in militiam adfectus nunquam non Reipublicæ prævaricatus est, & subditorum facultates etiam opulentissimas, fertilissimas præcipitavit.

Multo minus nimioperè tibi place, & cristas erige ob unius oppiduli demolitionem in Lusatia. Volubilis Fortunæ complura exempla, constanter propitiæ admodum pauca numerari possunt. Et quod facili manu robur assumit, ad mobilitatem, & interitum se componit, ejusque vicissitudini necem debet. Quin totam Silesiam te devicisse pone, tantisper scilicet impossibilem casum. Quâ con-

conscientiâ habebis, aut alii trades tantâ civi-  
um expilatione, tanto sanguine, tot viduita-  
tibus, tot orbitatibus emptam? Quando-  
quidem cædibus sœvire in immeritos, aut le-  
viter noxios immanis est ferociæ. Fatuus ve-  
rò optimo jure conseberis, si fatum propulsâ-  
re ab Austriacis desudaveris, quod sumus Di-  
ctator prescripsit. Auctio Rerum publicarum,  
Regnorum comites habet curas, seditiones,  
motusque crebros, & cum jam ventum ad  
summum est, astra, & stellæ in excidium con-  
jurant cum Sarpedone.

Altius oratio progredi gestit. Quid aliud a-  
gis, dum Ferdinando militas, quam ut Hispa-  
nicæ libidini satisfiat, & Pontificiis sacerdotib,  
rasæ turbæ, & ex iis Primati Romano Pontifici  
benè esse liceat? nimirum, sicut ipsi accipiunt,  
& interpretantur, ut Jurisdictio Papalis reti-  
neatur, conservetur, neq; absq; cura sint, quod  
nolunt, congerendæ pecuniæ; absque tyran-  
nico satellitio, ferratis copiis, exploratoribus,  
equis, mulis, tubis, bellis, stragibus, triumphis,  
tumultib. fœderibus, pugnis, & omnibus reli-  
quis, quibus imperium administrari nequit.

Egregia, si Dii placet, institutio, & Lu-  
therano principi conveniens actio, tibi que  
à Nobilitate Misnicâ inter alia jam antè  
obje-

issq

objecta, defendere eos in istis in quibus vides,  
 ut maximè animus adsit, verâ fide, & salvificâ  
 gaudeant, quod falsum, & absurdum, ocium  
 illis non esse Apostolico fingendi munere. Nā  
 quos tot curarū millia diuersos trahunt, dum  
 seculi negotia pertractātūr, dum tributa, ve-  
 etigalia imponuntur, dum scribitur delectus  
 militum, dum panguntur, & rescinduntur  
 fœdera, dum coercentur qui detrectant im-  
 perium, dum præsides urbib.dantur, dum in  
 fidelitate retinerur qui ad res novas spectant,  
 dum expugnantur hostes, dum muniuntur  
 arces, extruuntur castella, dum amandantur  
 prophanæ legationes, dum supplices libelli  
 leguntur, dum cōviviis excipiuntur Satrapæ,  
 dum ad honores provehūtur amici, dum de-  
 pelluntur quilocum dare jubentur feliciorib.  
 aut grationibus, dum alia fiunt, quæ nec me-  
 minisset libet, tamen fieri in tot opum, subdi-  
 torum, provinciarum copia, & amplitudine  
 necesse est, nullus locus officio pastoritio re-  
 linquitur.

Tu vero, qui Hispanico' nomini faves, &  
 Germanicam nostram legum domicilium, li-  
 terarum Gymnasium, curiam dignitatū, ver-  
 ticem mundi, libertatis patriā Iberiæ omni-  
 um legitimarum societatum nocentissimæ  
 pesti

pesti postponis, num eam Babylone antiqui-  
rem, Carthagine opulentiorem Troja firmio-  
rem, Thebis populosiorē, Coryntho munitio-  
rem, Tyro amœniorem, Byzantio fertiliorē,  
Cameſena ſeu Janiculo altiorem, Aquileja in-  
expugnabiliorem eſſe existimas? Perierunt i-  
ſtæ tam inſignes & nobiles urbes, tantis flo-  
rentes virtutibus, à tam præſtantibus defensæ  
viris. Ettu ſtabilitatem polliceris Diabolicæ  
Hispaniæ, tot tantisque obrutæ vitiis, tot fre-  
quentate vitiosis, prædonibus, piratis, latro-  
nibus, parricidis, lenonibus, inæſtuofis, Sodo-  
mitis? Præſtaret utiq; te tibi tuifq;, & neminē  
nō ſibi ac ſuis violentas afferre manus, ut Ger-  
manorum campi Alemannorum oſſa redole-  
rent potius, quam hominum nequissimorū  
execrabilib. corporibus, & piacularibus ſacris  
laſtrandā inhabitatione fœterent. Quid enim  
per Deum immortalem aliter operantur, &  
laborant, quam ut rationem doctis, morem  
gentibus, naturam brutis adimant, quod ego  
ſine stupore cogitare non possum, ſine rubo-  
re non audire, ſine pudore corā te narrare non  
audeo. Unicum addo, ut conſpirationem Pa-  
pæ cum hiſcernas clarius, idq; Oratoris, & Ju-  
reconsulti Tubingensium Clar. Thomæ Lan-  
ſii eſt. Quemadmodum Heliogabalus, lupus

hominum, ignem virginum Vestalium perpetuum, & omnes Romanas religiones extinguere voluit, atq; efficere ut Imperator Heliogabalus Deus unus, & solus ubique terrarum coleretur: ita Hispani omnibus modis contendunt, ut clariss. sinceræ Christianæ religionis lumine, & una aliis sectarum fatuisingibus deletis, unicum Inquisitionis idolum inter perpetua, & cruenta carnis humanæ sacrificia toto terrarū orbe celebretur. Verè humanæ carnis sacrificia appellavit, cum religio-  
nis Hispаниcę basis nō alia sit, quam sanguinaria Inquisitio: quæ ubi primum comperit ali-  
quem in quodam Fidei capite à Romana Ec-  
clesia dissentire, confessim opponit ei syllogis-  
mū ex igne, aqua, rota, aut laqueo cōfectum,  
qui fortius, quam qui primæ figuræ in scholis  
ob duplē illationis, & evidentiæ necessi-  
tatem dicuntur, concludat, atque ubi mors  
necessariò ingrediatur conclusionem.

Ipse nunc vide, & dispice, an aliis Augusta-  
næ confessionis principibus, & statibus absq;  
causa in Religionē suspectus sis, cum non o-  
mnes, quæ pectore latent, ore proferant, sed  
facta animi recessus declarent, scilicet dum fa-  
cis quod Theologi Witēbergenfes damnant,  
Jenenses, dissident, Agnati tui Principes, Co-  
bur-

burgenses, & Vinarienses aversantur, & in gratiam Papistarum parentes liberis, nepotes avis, maritos uxoribus, uxores maritis, clientes patronis, heros ministris, urbes templis, templa sacerdotibus, montes gregibus, campos frugibus orbos relinquunt.

Alium se præsttit Elect. MAURITIUS mala quidem mercede doctus antea audaciam, fiduciamque peccandi imitatione falsa eruditus, sed postea tantam laudem meritus, quantam tunc reprehensionem, qui cum intelligeret, Carolum V. Germaniae libertatem, & jugulum suis bellis petere, honeste, & alacriter defrui, cuius partes non nisi turpiter hucusque & impiè sectatus fuerat. Quapropter assurge, & firmate, teque ipsum recognoscens ad poenitentiam propera. Excute cōsternationis plenos affectus, ac nunquam sine tormento sui violentos *Iram & Odium*. Desine sæva iussa, continuas accusations, fallaces amicitias, perniciē innocentium, & easdem exitii tui causas conjungere. Disce infelicissimo consilio, eventuque omnibus ætatibus tentatum, pluribus unitissimis, & pro patriæ libertate in desperationem, & cōsumptionem usque, ut Numantini, Brunswicens. pugnare, multoque lapsātem sanguine spiritū pro sacrīs publ. effundere paratiissimis infer-

inferre cladem. Compescere proditores, & occultum, insidiosumque malum. Perfidiam latebris suis extrahe, & confige, cuius efficacissimæ vires sunt mentiri, decipere: fructus in aliquo admisso scelere consistit. Denique crudelitatis horridum habitum, truculentam faciem, violentos spiritus, vocem terribilem, os minis, & cruentis imperiis refertum exue, & depone. Nam hæc ita in te quondam Danielē Eremitam acutè non minus, quam rectè nota esse te non fugit. Etenim quem modum sibi ipsa statuet, si ne fugillationis quidem frænis fuerit revocata? ad summam, cū penes illam sit timeri, penes nos odisse. Contra pacem amplectere, subditis tuis parce, æqua humanitate pressos audi, irruentes in tuas provincias Ungaros egressu ex Bohemia tuo siste, & remitte, faciliorem fidem periculo amplius non expone, nec ullum tuo fundo facultates adjecturum crede, qui suas decoxit, & patrimonio spiritum interclusit, ne dum ferrum cōcoquere sibi per somnium facile esse autumas, interim nullius restuta, domus clausa, vita septa, pudicitia munita contra militis cupiditatem, & audaciam existat, adeoque

*brevibus pereant ingentia causis.*

*Impe-*

Imperium tanto quæsum sanguine, tanto  
 Servatum, quod mille ducum peperere, labores,  
 Quod tantis Romana manus contexuit annis,  
 Proditor unus iners angusto tempore vertat,  
 Quidquid delirant Reges, plectantur Achivi:  
 quod Poëtæ verbum est, sed ab altiori sensu,  
 & ultra captum plagos in cuiusdam in trivio  
 pueros docentis Orbili.

Ehec sunt, SERENISSIME ELECTOR,  
 quæ tibi laconicè indicare volui, debui: qui-  
 bus si obsecundabis, & menti trades, Docto-  
 remque Hoë impotentiæ, superbiæ misera-  
 bile mancipium, planeq; post familiariorum  
 cum Cleselio conversationem dementatum  
 tanquam piacularem victimam aulâ extur-  
 babis, aut, quod mitius est, ejus instigationi-  
 bus imposterum obstabis, & consiliis absti-  
 nebis, aliosque ardeliones, & Dolones, qui ti-  
 bi festucam pro trabe supponere solent, vita-  
 bis, atque novæ Constantiæ, Prudentiæque  
 litabis; Tantali Saxum capiti tuo imminens  
 excuties, civilis tragœdiæ carnificinam effu-  
 gies, & vives profectò, & in gloriam venies,  
 in æstimum posteritatis, ætatemque feres,  
 & latè ibis, diuquè ibis, Tu, & Filii tui, ac ve-  
 strorum temporum rectitudini ignaræ frau-  
 dum, technarum parendi facilitas imputabi-

C tur,

tur, Egoque te decoro elogio commendabo, & dicam brevi, at fideli, & diserta laude Exemplar *αὐτοῖς τὸ πολιτεῖαν καὶ σεβασμὸν*, nec ulla gens, ulla natio futura est, quæ non loquatur affatim, & confiteatur publicè, Fortunam honoris Electoralis parti majorem te beneficiis suis reperisse, emendationem animi, & sanctitatem dignitatibus, atq; beatitudinibus æternæ memoriæ tradendis æquiparasse.

## D I X I.



C  
THE

**ULB Halle**  
004 800 893

3




VD 17 nc



16 3780 64





**Kodak**

LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

## KODAK Color Control Patches

Centimetres

Inches

cet, co  
incam  
respect  
tur, &  
quod p  
-83 Due  
te certid  
didè jux  
torum  
straneo  
malète  
re, Secu  
desistas.  
creatur  
terime  
Tôring  
cessisse,  
natoris  
lenti, &  
nos o s  
cosjem  
do gene  
&lex est  
tot myri  
quod ex  
Idcir  
fi, spern

rationem  
boni facti  
one verfa  
que utile,  
ducitur.  
tempore  
o, at can  
Candida  
non fru  
xi, Prim   
artib. sta  
leferas, &  
iticiem tibi  
ttinet, fa  
nbergio,  
ue   pro  
o concio  
ti, turbu  
ninis, qui  
, Austria  
ali perio  
ius orbis,  
on n. inter  
hi dabis,  
oenderit.  
rehendi  
ti  tuum  
expen-